



XIS Sphæra, est dimetiens ipsius circa quam uoluitur, cuius extremitates sunt duo poli, Arcticus quo ad nos supra terram semper apparens, & Antarcticus quo ad nos sub terra semper delitescens.

De decem circulis Sphærae, etiam in globo terræ cogitatione intelligendis.

CAPVT IIII.



Circulorum Sphærae, aliqui sunt maiores, aliqui minores. Maior igitur circulus Sphærae dicitur, qui cœlum semper in duas æquales partes diuidit, quorum solum sex ab autoribus in sphæram assumpti sunt .s. Meridianus, Horizon, Aequinoctialis, Zodiacus, Colurus æquinoctiorum, Colurus solstitiorum. Minores sunt quatuor, Arcticus, Antarcticus, Tropicus Cancræ & Tropicus Capricorni. Circulus Meridianus, est circulus transiens per polos mundi & zenith capitis nostri. Et notandum quod ubicunq; homo fuerit, in quacunq; parte anni, quando Sol per motum primi mobilis ad meridianum eius circulum peruenerit, est ei Meridies, quare urbes positæ sub uno meridiano, eodem momento habent meridiem, etiam si ab inuicem multum in Austrum aut Septentrionem fuerint distantes. Quæ uero in ortum aut occasum distant, nunquam eundem meridianum habebunt. Hic etiam circulus immotus in mundo est, non enim mutatur, nisi in ortum & occasum, ea etiam ratione in Sphæram nec depingitur. Horizon qui & finitor, est circulus diuidens inferius hemisphærium à superiori, ea etiam ratione, terminator uisus dicitur. Nam si in campo aliquo plano steteris, uidebitur tibi cœlum ubiq; circulariter tangere terram, & ibi est terminus uisus, & sic iste terminus circumquaq; horizon est uidentis, & circulus iste diuidit cœlum in duas partes æquales. Nam tantum est hemisphærium cœli sub terra, quantum est supra terram. Per horizontem etiam distinguitur dies artificialis: qua Sol est supra horizontem à nocte. Nam dies nobis est, dum Sol est supra nostrum horizontem. Nox uero, dū sub horizonte latet. Hic degentibus sub æquatore, rectus est, nobis uero & omnibus extra æquatorē habitantibus, obliquus. Ea etiam ratione in sphæram nec describitur, est autem omnium horizontum capitis uertex, polus, nam tale punctum omniquaq; ab finitore æquidistat. Aequinoctialis est circulus diuidens sphæram in duo æqualia secundum quamlibet sui partem, æquidistans ab utroq; polo. Et dicitur æquinoctialis uel æquator, quoniam quando Sol sub ipso defertur, est æquinoctium in uniuersa terra, quod bis in anno contingit, in uere scilicet cum Sol in principio arietis fuerit, & in autumno, quando Sol in principio libræ steterit, ideo etiam æquator dicitur, eo quod diem nocti æquat. Zodiacus est circulus qui interfecat æquinoctialem, & interfecatur ab eodem in partes duas æquales, cuius etiam una eius medietas in austrum declinat, altera in septentrionem. Et dicitur uel ἀπὸ τῆς ζωῆς, quod Solis hæc sit semita quem autorem uitæ accipimus, uel quod uerius uidetur ἀπὸ τῶν ζῴων, hoc est animantium figuris quibus hunc circulum de stellarum concursu ueteres insignierunt, & nomina dederunt hæc, ut Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Hic circulus dicitur etiam obliquus eo quod